MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80275-10

AUTHOR:

POHLENZ, MAX

TITLE:

DE OVIDI CARMINIBUS AMATORIIS

PLACE:

GOTTINGAE

DATE:

1913

Master Negative #

91-80275-10

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Pohlenz, Max, 1872-1962.
De Ovidi Carminibvs amatoriis... Gottingae, Dieterich, 1913.
25 p. 24 cm.

Programme.

Vol. of theses.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm   REDUCTION RATIO:
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9-26-91   INITIALS M. B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

AD PRAEMIORVM
A QVATTVOR ORDINIBVS PROPOSITORVM
PVBLICAM RENVNTIATIONEM
QVAE FIET DIE XVI. MENSIS IVNII A. MDCCCCXIII

HORA XI

HVIVS ACADEMIAE CIVES
ET QVI EIVS STVDIIS FAVENT
INVITANT
VNIVERSITATIS GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR ET SENATVS

DE OVIDI CARMINIBVS AMATORIIS

SCRIPSIT

M. POHLENZ

GOTTINGAE
OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT
WILH. FR. KAESTNER.

Etiamsi ad maiora hodie, Commilitones, animos vestros attentos scio esse atque erectos, tamen ne haec tenuia quidem vos spreturos esse confido, quae more solito e rebus ad nostras scholas disciplinasque pertinentibus hoc loco proferam.

Circumspicienti autem mihi, quanam de re hac occasione data vobiscum colloquerer, optimum esse videbatur quaestionem quandam, quam nuper in lectionibus meis tetigi potius quam ad finem perduxi, accuratius tractare. Agam igitur de **Ovidi carminibus amatoriis** conaborque ostendere nos paulo certius quam adhuc factum est, quo ordine illa sese exceperint quoque tempore scripta sint, constituere posse.

Atque iuvenalibus annis Ovidium coepisse carmina condere ex ipsius verbis apparet (Tr. IV, 10, 57)

Carmina cum primum populo iuvenalia legi,
barba resecta mihi bisve semelve fuit.
Moverat ingenium totam cantata per urbem [1])
nomine non vero dicta Corinna mihi.

Quod autem Schanz ex his verbis concludit (Littg. II[1] p. 270): ,Er mag circa zweiundzwanzig Jahre alt gewesen sein, als er mit seinen Produkten vor die Öffentlichkeit trat', et vos paulo aliter de tempore quo barba primo resecetur iudicare puto neque ego dubito quin non multo postquam liberiorem togam sumpserat Ovidius carmina sua legere coeperit (ib. v. 28—30). Atque Corinnam a se iam tum cantatam esse Ovidius ipse testatur; num tamen ullum ex primis illis carminibus in editionem Amorum receperit nescimus.

Quando autem **Amores** ediderit, eo intricatior quaestio est, quod ex epigrammate praemisso duas ab eo editiones confectas esse cognovimus. Cum vero magni momenti sit scire quaenam carmina in priore quae in posteriore fuerint, in hanc rem nunc primo inquiram a tertii libri primo atque ultimo carmine exorsus.

---

1) Alludit ad Am. I, 3, 25: *Nos quoque per totum pariter cantabimur orbem.*

Primo igitur carmine Ovidius narrat per silvam spatianti sibi duas mulieres apparuisse, Elegiam atque Tragoediam. Atque Tragoediam quidem gravibus verbis se hortatam esse ut tandem aliquando ludere desineret et maius opus inciperet, ab Elegia autem admonitum quantum ipsi deberet, se a Tragoedia impetrasse ut exiguum sibi tempus concederet.

Mota dedit veniam: teneri properentur Amores,
dum vacat; a tergo grandius urguet opus (69. 70).

Quod carmen cum contemplamur, statim apparet Ovidium argumentum illud notissimum poetarum elegiacorum, quo se exiguos elegos, non magnum opus scribere posse confitentur, ita variasse, ut fabulam Herculis in bivio tum multum in scholis et philosophorum et rhetorum iactatam immutatam ad diversas res translatam [1] in suum usum converteret. Discrepat autem ea quoque in re a reliquis poetis, quod maius illud tragoediae opus non omnino abnuit sed mox se ad illam transiturum esse praedicat.

Ultimo vero libri tertii carmine Ovidius postquam secundum morem poetarum et Graecorum et Romanorum de ipsius genere et vita locutus est maximeque ad exemplar elegiae qua Propertius monobiblon suam conclusit liberius vagatus etiam de patria nonnulla rettulit [2], Veneri et Amori vale dicit: Ut enim incipit

---

1) Qua de re conferte quae nuper Ioannes Alpers noster exposuit in dissertatione ‚Hercules in bivio' Gottingae 1912.

2) Elegias haec carmina voco, etsi sine dubio Wilamowitz in praeclaro libro Sappho und Simonides p. 297 sqq. recte ea cum Nossidis aliorumque poetarum epigrammatis in fine librorum positis contulit. Ovidium certe epigrammaticum et elegiacum carminum genus probe distinxisse vel ea res docet, quod, etsi sescenties Philodemi aliorumque epigrammata in usum suum convertit, semper consulto adstrictum componendi genus solvit atque saepe id ipsum, in quo epigrammatis ars posita erat, acumen ultimi distichi, sustulit (velut cf. Philodemi ep. V, 131 cum lepida narratione quam Ovidius Am. I, 5 inde effecit). Utrum hoc eo tantum consilio fecit, ut Graecum vinum Romana aqua diffunderet, an, sicut Theocritus Philoxeni dithyrambum in carmen epicum transtulit, *μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος* sibi proposuit? Unum epigramma Ovidius Amoribus inseruit, illud dico quod alteri editioni praefixit; quocum conferas illud quod in prima fronte Metamorphoseon praeponendum esse Trist. I, 7, 33. 4 dicit. Compara haec epigrammata cum reliquis Amorum carminibus, etiam cum III, 15: iam intelleges Ovidium diversa componendi genera adhibere voluisse, III, 15 secundum poetae consilium non epigramma esse sed elegiam. Itaque non dubito quin etiam Properti carmen I, 22, cuius ad exemplar suum scripsit, veram elegiam, carmen ab epigrammatis ratione remotum esse putaverit. Propertium autem ipsum ut non aliter de suo carmine iudicasse putem vel ea re adducor, quod ne ille quidem ullum carmen conscripsit quo artificiosam Philodemei vel Callimachei epigrammatis compositionem assequi studeret (De carminibus I, 21. 2 cf etiam nunc quae Leo disputavit Nachr. Gött.

Quaere novum vatem, tenerorum mater Amorum,

sic carmen concludit:

17 *Corniger increpuit thyrso graviore Lyaeus,*
pulsandast magnis area maior equis.
Inbelles elegi, genialis Musa, valete,
post mea mansurum fata superstes opus!

Quibus verbis Ovidium minime indicare se iam ad Metamorphoses transire velle, ut quidam putaverunt [1], facile vobis persuadebitis, si primum tertii libri carmen in memoriam revocaveritis. Ut enim prima verba: ‚*Quaere novum vatem, tenerorum mater Amorum*' respiciunt ad III, 1, 69 ‚*teneri properentur Amores*', sic v. 17. 8 ad ea verba quae Tragoedia III, 1, 23 et 26 profatur:

tempus erat thyrso pulsum graviore moveri.
cessatum satis est; incipe maius opus!
materia premis ingenium; cane facta virorum!
‚haec animo' dices ‚area facta meo est'.

Itaque carminibus amatoriis omissis ad Tragoediam transiturum se esse dicit. Quodsi verba eius audimus, Ovidius, cum III, 1 scribebat, consilium cepit tragoediae scribendae sed distulit, atque elegiis tertii libri demum compositis ad propositum revertit. Sed neminem dubitaturum esse puto quin eodem tempore quo carmen ultimum etiam carmen primum conceperit, hoc autem primo libri loco posuerit, ut aptum libri III initium haberet animosque legentium ad ea quae in fine libri prolaturus erat praepararet.

Ges. 1898). Accedit quod Romanos sibi conscios fuisse elegiam a Gallo Tibullo Propertio Ovidio excultam proprium genus carminum esse a reliquis segregatum ex Ovidi Trist. IV, 10, 51-54 intellegimus, neque apparet qua causa commoti aut Ovidius aut Propertius ultima carmina secundum aliud genus componere voluerint. Propertius igitur non minus quam Ovidius inter elegiacum et epigrammaticum componendi genus distinxisse mihi videtur. De Catullo autem atque Graecis sane inde nihil sequitur.

Ea quae de epigrammate *Ἄλλος ὁ Χῖος* protuleram (*Χάριτες* Fr. Leo dargebracht p. 90) Wilamowitz in libro suo p. 300 impugnavit, sed summam rei mihi non persuasit. Nam verba *ἄλλος ὁ Χῖος*, cum sequatur ‚ego autem qui haec scripsi Syracusanus Theocritus sum' significare ‚*οὐχ ὁμηρίζω*', non ‚Chius a me diversus est' ne nunc quidem credere possum. Contra libenter confiteor recte me a Wilamowitzio (p. 289[4]) vituperatum esse, quod de Phileta scripsissem (*Χάριτες* p. 111): ‚Die Koer haben Philetas dargestellt, wie er unter einer alten Platane ein Lied singt'. Ubi tamen verbis magis quam re lapsus eram. Certe ne ego quidem umquam Coos platanum aeneam effinxisse cogitaveram. Fateor etiam totam interpretationem versuum Hermesianacteorum (Athen. 598e) a Wilamowitzio datam mihi magis nunc probari ea quam Kaibelii interpunctionem secutus ipse protuleram.

1) Velut Jacoby Rh. M. LX, 71[1].

Librum igitur tertium Amorum Ovidius sic concludit, ut nunc se ad novum poeseos genus, scilicet ad tragoediam transire velle dicat. Sed nunc animum advertite ad ea quae idem II, 18, 13–16 dicit:

Sceptra tamen sumpsi, curaque tragoedia nostra
crevit, et huic operi quamlibet aptus eram:
risit Amor pallamque meam pictosque cothurnos
sceptraque privata tam cito sumpta manu.

Quid igitur? Nonne hic iam tragoediam se scripsisse dicit poeta, ad quam secundum III, 15 transire demum vult? Quod eo magis mirum est, quod verba ‚*pallamque meam pictosque cothurnos*' aperte alludunt ad III, 1, ubi Tragoedia palla induta venit (12) et ‚*pictis innixa cothurnis*' dicitur (31).

Quomodo res expedienda sit, videtis ipsi: II, 18 post III, 1 et 15 scriptum est. Ergo III, 15 finem prioris editionis effecit. Quae cum in lucem prodisset, ad tragoediam scribendam Ovidius se convertit. Quamquam autem Medea sua multorum plausum tulerat, tamen ad Amores rediit et cum alia carmina tum II, 18 scripsit, quod alteri editioni inseruit. Consulto autem Ovidius illud paenultimum libri alterius carmen esse voluit. Quamquam enim, cum de vita atque arte poetae ageret, facile ultimum libri locum sibi vindicare poterat, paulum a fine remotum est, ne discrepantia quae inter hoc carmen et III, 15 intercedebat, nimis appareret.

Priusquam autem de ipso hoc carmine II, 18 accuratius agamus, libri primi ultimum carmen (I, 15) tractemus.

Incipit carmen hoc modo:

Quid mihi, Livor edax, ignavos obicis annos
ingeniique vocas carmen inertis opus,
non me more patrum, dum strenua sustinet aetas,
praemia militiae pulverulenta sequi
nec me verbosas leges ediscere nec me
ingrato vocem prostituisse foro?
Mortalest quod quaeris opus; mihi fama perennis
quaeritur, in toto semper ut orbe canar.

Postquam deinde poetas enumeravit, qui perennem famam assecuti essent, sic carmen concludit:

Vilia miretur vulgus; mihi flavus Apollo
pocula Castalia plena ministret aqua,
sustineamque coma metuentem frigora myrtum
atque ita sollicito multus amante legar!
Pascitur in vivis Livor, post fata quiescit,
cum suus ex merito quemque tuetur honos.

Ergo etiam cum me supremus adederit ignis,
vivam parsque mei multa superstes erit.

Ultima verba qui legit, quis non reminiscitur Horatiani versus ‚*non omnis moriar multaque pars mei vitabit Libitinam*'? Cui autem non omnino apparet, quanta similitudo intercedat inter Ovidi carmen et illud Horatianum III, 30, quod in fine prioris editionis odarum legitur? ‚*Exegi monumentum aere perennius*' incipit Horatius; ‚*mortalest quod quaeris opus, mihi fama perennis quaeritur*' resonat Ovidius. ‚*Usque ego postera crescam laude recens, dum Capitolium scandet cum tacita virgine pontifex*' haec Horatius, *vivet Maeonides, Tenedos dum stabit et Ide*' sic Ovidius v. 9 incipit totamque poetarum seriem simili modo annectit. Utrum verba ‚*Livor edax*' cum scriberet Ovidius, memoria tenuerit Horati verba ‚*imber edax*' necne, fortasse dubites. Eo maioris autem momenti est, quod verbis quibus Horatius poema concludit ‚*et mihi Delphica lauro cinge volens, Melpomene, comam*' Ovidi verba respondent v. 35 sqq.: ‚*mihi flavus Apollo pocula Castalia plena ministret aqua, sustineamque coma metuentem frigora myrtum, atque ita sollicito multus amante legar!*' Hinc enim videmus, quo consilio Ovidius carmen Horati tam accurate imitatus sit, ut similitudo neminem fugere posset. Scilicet ut Horatius gloriatus erat se principem Aeolium carmen ad Italos deduxisse modos, sic Ovidius se carminibus amatoriis immortalitatem adeptum esse praedicat dignumque esse qui iuxta Horatium sedem occupet [1]).

Quodsi Ovidius hoc carmine legentes ipse ut se cum Horatio comparent invitat, eo magis mirum videri potest quod inter magnos poetas Romanos quos in versibus 19–30 enumerat Horatius deest, quamquam alio Ovidi loco (Trist. IV, 10, 49) de eodem legimus: ‚*tenuit nostras numerosus Horatius aures*'. Deest etiam alius poeta, cuius nomen expectamus. Nominat enim Ovidius Gallum, nominat Tibullum, sed praeterit eum quem non modo Tr. IV, 10, 53 sed etiam in Arte III, 333 cum his duobus elegiarum poetis laudat, Propertium, quamquam iure sodalicii ei iunctus erat (Tr. 46).

Quae res, si consuetudinem illorum temporum respicimus, uno tantum modo explicari potest: Cum Ovidius c. I, 15 componebat, Vergilius ac Tibullus iam mortui erant, sed vivebant etiamtum Propertius et Horatius. Itaque Ovidius hoc carmen certe ante a. 8, quo Horatius mortuus est, scripsit. Cum vero Propertius non ita multo post a. 15 mortuus esse videatur, si quidem nullum eius carmen novimus quod post eum annum conditum sit, a vero vix

1) Versus 39 ‚*Pascitur in vivis Livor, post fata quiescit*' eam sententiam reddit, quam Horatius ep. II, 1, 21 expressit.

aberrabimus, si carmen I, 15 post a. 19 quo Vergilius et Tibullus mortui sunt et ante a. 10 scriptum esse dicemus.

Simili de causa etiam III, 15 post a. 19 conditum esse inde conicias quod ibi legimus:

Mantua Vergilio gaudet, Verona Catullo:
Paelignae dicar gloria gentis ego.

Cum tamen hic certos poetas eligat, non omnes claros poetas enumerare in animo habeat, de hoc carmine firmiter iudicare non ausim.

Maxime vero dolendum est quod, utrum I, 15 iam in priore Amorum editione fuerit an in posteriore additum sit, ita diiudicari non potest, ut nihil restet dubii. Fateor tamen haud paucis rationibus me commoveri ut alteri editioni illud tribuam. Ut enim non dicam praeter c. III, 15, quod in fine prioris editionis fuisse novimus, simile carmen certe necessarium non fuisse, summa illa fiducia, quam in c. I, 15 prae se fert, magis poetam decet iam maiorem gloriam adeptum. Certe ego aegre a me impetro ut putem poetam inde ab initio carmina sic disposuisse, ut in primo libro carminibus amatoriis se immortalitatem assecutum esse tantopere gloriaretur, in ultimo totius operis carmine de isdem carminibus multo modestius loqueretur (20 *post mea mansurum fata superstes opus*) atque ad maiora se tendere fateretur. Adde quod cum primo carmina ederet, vix causa erat cur contra Livorem se defenderet. Contra posterioribus temporibus multos sibi invidisse poeta ipse testatur, cum in Remediis amoris 365 sqq., ubi quasi summam totius carminis I, 15 repetit, iterum a ‚Livoris edacis' (389) opprobriis se defendit. Accedit denique leviuscula res. In c. I, 15 Livori respondet frustra sibi immortalia quaerenti ignaviam obici quod neque stipendia faciat neque causas dicat. At non modo I, 9, 41 ignavum ipse se nominat sed etiam II, 18, 3 dicit ‚*Nos, Macer, ignava Veneris cessamus in umbra*'. Quod vix fecisset, si iam antea ignaviae crimen a se defendisset. Quodsi I, 15 post II, 18, quod carmen in altera editione additum esse supra cognovimus, scriptum est, ipsum quoque alteri editioni tribuendum esse apparet.

Eodem tempore quo I, 15 etiam I, 2 scriptum esse videtur. Nam versui I, 15, 37 ‚*Sustineamque coma metuentem frigora myrtum*', quem ad exemplar versus Horatiani ‚*et mihi Delphica lauro cinge volens, Melpomene, comam*' scriptum esse supra vidimus, respondet I, 2, 29

Cingere litorea flaventia tempora myrto,
Musa, per undenos emodulanda pedes!

Itaque et hoc carmen et I, 1. 3, quae una cum eo composita esse

apparet, ut initium libri efficiant[1]), alteri editioni tribuerim. Quae praeterea in hac addita sint, nunc non quaero. Unum dico, illud carmen quod I, 15 ipsum antecedit ad alteram editionem potius referendum esse, cum propter Sygambram v. 49 nominatam post a. 16 ortum esse videatur.

Quae si recte disputata sunt, priorem Amorum editionem paulo post Vergili mortem prodisse probabile est, altera inter a. 15 et 10 secuta est. Inter utramque Medea tragoedia composita est.

Cum autem multi etiam **Artem** ante alteram Amorum editionem aut certe eodem fere tempore scriptam esse putent, nunc accuratius de carmine II, 18 agamus.

‚*Carmen ad iratum dum tu perducis Achillem*, nos, Macer, non nisi ad levia amatoria carmina apti sumus (1—12). Quamquam conatus certe sum ad maiora transire tragoediamque scribere, sed *de cothurnato vate triumphat Amor* (13—18)'. Haec cum legimus, iterum Properti carmen Ovidio obversatum esse cognoscimus. Plane enim eodem modo ille I, 7 canit:

Dum tibi Cadmeae dicuntur, Pontice, Thebae,
nos, ut consuemus, nostros agitamus amores.

Quod autem ille in fine carminis sperat etiam epicum poetam aliquando cogniturum esse quantum carmina amatoria valeant, id Ovidius solito more ita variat, ut dicat amicum quoque libenter amatorias res in Iliadem suam intexere. Ut Propertius igitur sic etiam Ovidius amico atque legentibus dicit non ad epica carmina sed ad amatoria tantum ingenium suum aptum esse. Discedit quidem a Propertio ea in re quod se aliud carminum genus temptasse commemorat. Cum tamen frustra se illud suscepisse dicat, eo magis post v. 18 eandem sententiam expectamus quam Propertius protulit, sc. ‚ergo id unum facio quod possum, amatoria carmina pango'. Pergit autem

Quod licet, aut artes teneri profitemur Amoris
— ei mihi, praeceptis urgeor ipse meis —
aut quod Penelopes verbis reddatur Ulixi
scribimus et lacrimas, Phylli relicta, tuas eqs.

Non mirum est quod propter primum horum versuum plerumque

---

1) In primo carmine poeta contra Amorem pugnat eiusque telo vulneratur, in altero haesisse tenues in corde sagittas cum sentiat, manus dat seque in triumpho ab Amore deduci patitur. In tertio a deo precatus, ut sibi faveret, iam puellam amatam exorare studet, cumque antea dixerit (1, 19)

nec mihi materia est numeris levioribus apta,

nunc petit (3, 19):

te mihi materiem felicem in carmina praebe.

haec verba ita accipiuntur, ut ad Artem suam alludat poeta. Sed tum me compositionem carminis omnino non intellegere fateor. Poeta enim cum dicat omissa tragoedia se nunc id facere quod solum restet, quomodo id ipsum quod nunc facit tacere potest? Cur de duobus aliis operibus, de Arte et de Epistulis, dicit, Amores quos nunc ipsum scribit neglegit? Quod eo magis mirum est quia et ipsa res et Properti exemplar ferebat, ut se omnino Amoris vatem esse diceret. Neque hoc obici potest, poetam iam antea in vv. 6—10 Amores commemorasse. Minime enim ita progreditur ut dicat: ‚Primo ego Amores scripsi, tum ad tragoediam me converti; quod quoniam frustra me temptasse perspexi, nunc Artem et Epistulas condo', sed ut v. 19 ita iam 3. 4 praesenti tempore usus plane ad Properti exemplar exponit: ‚Tu epica carmina pangis, ego Amori servio. Ad maiora enim quae temptavi aptum me non esse mox cognovi, itaque nihil facere possum nisi ut amatoria carmina redintegrem.'

Sed nonne in v. 19 aperte Ovidius Artem nominat? At primum interest utrum dicas ‚Artem scribimus' an ‚*artes profitemur Amoris*'. Ut enim apud Ciceronem (Tusc. II, 12) philosophi nominantur ‚*artem vitae professi*' [1]), sic ‚artes Amoris professus' unusquisque dici potest qui Amori servit et carmina amatoria pangit [2]). Deinde vix est quod commemorem Leonem nostrum exposuisse quam saepe poetae elegiaci Romani se quasi magistros amoris esse voluerint (Plaut. Forsch.[2] p. 146). Velut Tibullus in carmine I, 4, quo vere artem amatoriam profitetur, in fine haec profert:

Vos me celebrate magistrum,
quos male habet multa callidus arte puer
. . . .
Tempus erit, cum me Veneris praecepta ferentem
deducat iuvenum sedula turba senem.

Quodsi addit

Heu heu quam Marathus lento me torquet amore!
Deficiunt artes deficiuntque doli.
Parce, puer, quaeso, ne turpis fabula fiam,
cum mea ridebunt vana magisteria,

1) Alia exempla invenies in Th. l. l. II 668. Brandtium ad haec verba explicanda nihil adnotare nisi ‚Zu profitemur vgl. ars II 639: *nos etiam veros parce profitemur amores*', quamquam ille versus plane aliam rem significet, non mirabitur quisquis eius commentarium noverit. Contra non male Némethy, qui omnino recte de hoc loco iudicat, ad Tibulli I, 4, 77 sqq. nos relegat, ubi poeta se comparat cum iis qui iuris civilis scientiam profitentur.

2) Contra pluralem numerum ‚Artes' non obstare, quominus poetam ad Artem alludere putemus concedendum est, cf. Tr. II, 345 al.

similem querimoniam in alio carmine legimus, ubi item se Veneris praecepta dedisse commemorat, I, 6, 9. 10:

Ipse miser docui quo posset ludere pacto
Custodes: heu heu nunc premor arte mea.

Quae verba Ovidius ipse postea in Tristium libro altero affert, ut Augusto se non unum artem amandi docuisse ostendat. Postquam enim hoc non modo Gallum sed etiam Tibullum fecisse v. 447 dixit, hoc testimonium addit:

Fallere custodes idem docuisse fatetur
seque sua miserum nunc ait arte premi.

Idem vero Tibulli carmen Ovidius iam cum Amores scribebat non modo noverat sed etiam imitatus est. Tibullus enim in illo carmine argumentum notissimum, quo poetae puellam suam nimis severe a duro viro servari queruntur, iocose ita in contrarium vertit, ut virum incautum melius Deliam servare iubeat, ne cum aliis peccet. Sed petulantius etiam Ovidius rem commutans in carmine II, 19 a viro stulto petit ut melius puellam servet, quo ipse maiorem voluptatem capiat, οὐ γὰρ ἕτοιμα βούλομαι, ἀλλὰ ποθῶ πᾶν τὸ φυλασσόμενον [1]).

Quin autem a Tibulli carmine I, 6 hic Ovidius proficiscatur, non dubitabis, si cum Tib. I, 6, 15. 6

At tu, fallacis coniunx incaute puellae,
me quoque servato, peccet ut illa nihil

comparaveris initium carminis Ovidiani:

Si tibi non opus est servata [2]), *stulte, puella,*
at mihi fac serves, quo magis ipse velim.

Cum autem etiam aliis locis in hoc carmine aperte Tibullum imitetur Ovidius [3]), ne illud quidem dubium est quin Tibulli versus 9. 10

ipse miser docui quo posset ludere pacto
custodes: heu heu nunc premor arte mea

Ovidio in memoria haeserint, cum vv. 33. 4 scripserit:

si qua volet regnare diu, deludat amantem
— ei mihi, ne monitis torquear ipse meis! —

1) Philodemus AP. XII, 173, cf. Ovidi v. 3. 4, *Quod licet ingratum est: quod non licet, acrius urit. Ferreus est, si quis, quod sinit alter, amat*'. Parodiam quam hic in verbo ‚*ferreus*' sentis, lepide etiam in vv. 47 sqq. persecutus est.

2) cf. etiam Tibulli v. 34: *tua si bona nescis servare, frustra clavis inest foribus* (Ovidi v. 38 *incipe iam prima claudere nocte forem*).

3) Tib. v. 36 *et simulat subito condoluisse caput* ∾ Ovidi v. 11 *sani capitis mentita dolores*. Tib. 32 *instabat tota cui tua nocte canis* ∾ Ov. 40 *quid latrent nocte silente canes*. Tib. 11 *fingere tum didicit causas ut sola cubaret* ∾ Ov. 42 *cur totiens vacuo secubet ipsa toro*.

Nunc autem iam redeundum est ad II, 18, a quo profecti sumus. Cum enim in hoc carmine quod fortasse non sine causa ante II, 19 positum est, paene eadem verba legamus (19. 20):

Quod licet, aut artes teneri profitemur Amoris
— ei mihi, praeceptis urgeor ipse meis! —

nonne aperte ad versum II, 19, 34 quem secundum Tibullum scripsit alludit et c. II, 19 suas artes continere indicat?

Nec tamen si cui haec coniectura nimis audax videbitur, nimis refragabor; id vero nemini iam dubium esse puto, quin talia carmina qualia sunt II, 19; I, 4 al. satis causae praebuerint, cur Ovidius Tibullum et Propertium[1]) secutus artes Amoris se profiteri diceret. Cum igitur nullo modo cogamur putare poetam hic ad Artem alludere, id tenebimus quod tota carminis compositio flagitat: sc. Ovidium, cum maiora scribere non possit, se Amores ludere dicere[2]). Quisquis autem Artem cum Amoribus comparaverit, permulta quidem carmina ex his in Artem translata videbit (velut bellus ille mimus III, 2 in Arte I, 135 sqq. redit[3]), nullum vero locum inveniet, ubi in Amoribus ex Arte sua hauriat. Notissimo autem illo Artis loco (III, 341 sqq.), ubi Amores et Epistulas nominat, etsi propter corruptelam certi nihil concludi potest[4]), minime quicquam obstat quominus bis iam Amores editos esse putemus.

Commemorat autem ut in Artis hoc loco sic iam in Amorum carmine quod tractavimus Ovidius se praeter Amores etiam **Epistulas** amatorias scribere. Qua de re nunc dicendum est. Atque nominat quidem in versibus II, 18, 21—26 praeter Sapphus epistulam epp. 1. 2. 5. 11, epistulam Iasoni datam, 10. 4. 7. Cum autem in nostra editione duae epistulae legantur ad Iasonem scriptae, Medeae

1) *Invenies eadem blandi praecepta Properti* Tr. II, 465.

2) Ad ,*artes teneri profitemur Amoris*' cf. etiam III, 1, 69 *teneri properentur Amores* III, 15, 1 *Quaere novum vatem, tenerorum mater Amorum* al.

3) Unde factum est ut Ovidius hoc Artis loco proferret, quae ad propositam dispositionem non satis quadrarent. Sane enim concedendum est vv. 135—162 non tam id agi quomodo inveniatur quod amare velis, id quod in vv. 41—262 tractare sibi proposuit, quam quomodo amata capiatur. Cum tamen facile explicetur quomodo Ovidius a proposito aberraverit, minime Tolkiehnium sequar, qui hos versus ante 525 transponendos putat (Festschrift für Friedländer p. 433 sqq. et Neue Jahrb. 1903 p. 329—31.) Omninoque ille mihi nimis saepe in Ovidi dispositione haesisse videtur. Nam ut in parvulis rebus sibi constet, ab Ovidio minime est flagitandum.

4) Vulgata lectione ,*deve tribus libris*' etsi nihil continet quod Ovidium non deceat (cf. Tr. II, 245 *neve quibus scribam possis dubitare libellos, quattuor hos versus e tribus unus habet:*), niti nolo ut editionem trium librorum iam prodisse probem.

(12) et Hypsipylae (6), dubitari non posse videtur quin ep. 6. significare voluerit poeta, siquidem Sabinum amicum Iasonem Hypsipylae respondentem fecisse paulo post commemorat (II, 18, 33). Sed mirum est quod Ovidius hanc epistulam v. 23 indicat verbis ,*et quod male gratus Iason legat*'. Nam Hypsipyle etsi in ep. 6 se ab Iasone destitutam esse queritur, tamen ingratum animum ei non obicit. Contra Medeae epistula tamquam ,*ingrati actio est*' (Sen. rh. contr. 13)[1]). Nam Medea ut in v. 23 sibi quasi demonstrandum proponit ingratum Iasonem esse, cum dicit

,est aliqua ingrato meritum exprobrare voluptas',

sic tota epistula non tam id agit ut Iason ad ipsam redeat[2]) sed ut ei asperrimis verbis quam ingratus sit ostendat, atque summa acerbitate in fine verbum ipsum repetit:

hoc ipsum, ingratus quod potes esse, meumst (208).

Itaque Ovidius, cum in Amoribus scriberet ,*quod male gratus Iason legat*', simul etiam Medeae epistulam (12) memoria tenuisse mihi videtur nec fortasse casui tribuendum est quod epistulam Iasoni missam inter ep. 11 et 10 commemoravit. Perspicuum praeterea est ep. 6, in qua totiens ad Medeae fata respicitur et tot versus cum ep. 12 ad verbum conspirant, post epistulam Medeae scriptam esse[3]). Quod si verum est, evincitur Ovidium in Am. II, 18 non in animo habuisse quasi indicem epistularum omnium a se scriptarum legentibus proponere. Qua falsa opinione nisus non modo Carolus Lachmann (Kl. Schriften II p. 65 sqq.) omnes epistulas ab

1) Nec tamen controversiae magis quam suasoriae similem esse Ovidi epistulam dixerim, praesertim cum omnino Ovidium poetam non rhetorem esse credam.

2) Etsi enim v. 187 sqq. ad supplices preces descendit, tamen cum alibi tum in ultima epistula, cum minime speret se Iasoni persuasuram esse, ad minas a precibus transit.

3) cf. VI, 83. 84. 93 et XII, 169. 70; VI, 94 (*moribus et forma*) et XII, 179; VI, 95 et XII, 175; VI, 129 et XII, 118; VI, 133—138 et XII, 111—114. 161. 199. 201. Imprimis autem argumentum versuum VI, 99—105

Adde quod adscribi factis procerumque tuisque
se facit et titulo coniugis uxor obest;
atque aliquis Peliae de partibus acta venenis
imputat et populum qui sibi credat habet:
,Non haec Aesonides sed Phasias Aeetine
aurea Phrixeae terga revellit ovis'

totum ex ep. 12 sumptum est, ubi Medea aureum vellus suam dotem esse clamat (203) atque addit

dos mea tu sospes, dos est mea Graia iuventus,

cf. 109. 10

flammea subduxi medicato lumina somno
et tibi, quae raperes, vellera tuta dedi.

Ovidio hic non nominatas suspicionem movere statuit, sed etiam nuper R. Bürger in opusculo de Ovidi carminum amatoriorum inventione et arte Wolfenbüttel 1901 p. 38 epistulas ab Ovidio non nominatas nondum scriptas esse contendit. At non nonnullas epistulas inter amicos vulgatas sed editionem Epistularum, e qua nonnullas tantum enumeret, hic ab Ovidio respici et per se probabilius est, praesertim cum Sabinus iam respondentium virorum epistulas finxisse dicatur, et inde concludi potest quod Penelopae et Phyllidis epistulae, ut in editione nobis servata primum locum tenent, sic etiam ab Ovidio primae nominantur [1]).

Nihil igitur obstat quominus ep. 1—14 iam tum cum Ovidius Am. II, 18 scribebat editas fuisse putemus. Utrum autem Sapphus epistula ab Ovidio scripta eadem sit atque ea quam nos manibus tenemus, nunc non quaeram [2]). Contra epistulae 16—21 quin in ea editione non fuerint, dubium mihi non videtur, siquidem Ovidius epistulas virorum, si quas iam scripserat, praeterire nullo modo poterat. Quas multo post scriptas atque alteri Epistularum editioni insertas esse alio loco probavi (in Hermae huius anni p. 3 sqq.).

Quae si recte disputata sunt, Epistulae 1—14 post priorem, sed ante posteriorem Amorum editionem in lucem prodierunt.

Restat ut paucis exponam quomodo iudicem de ratione quae intercedit inter Ovidi Epistulas et Properti carmen IV, 3, quo mulier Romana marito stipendia facienti epistulam scribit. Quo in carmine nomina Arethusam et Lycotam ficta esse apparet, sed quin certa mulier certo viro litteras dare fingatur, imprimis propter versus 7—10 (*Te modo viderunt iteratos Bactra per ortus eqs.*) dubitari non potest. Non igitur assentior Heinemanno (Epistulae amatoriae quomodo cohaereant cum elegiis Alexandrinis, Argentorati 1911 p. 34. 5), qui hanc inter Properti et Ovidi epistulas differentiam intercedere putat, quod ille infinitam hic finitas prosopopoeias scripserit. Rectius discrepantiam eam agnoscemus quod Propertius suae aetatis mulierem, Ovidius heroidas scribentes inducit. Quamquam autem Bürger l. l. p. 33 non sine causa monuisse videtur e rhetorum exercitationibus, qui mythicas personas inducere solebant, facilius Ovidi quam Properti formam nasci potuisse, tamen inde nondum firmiter stabilitur Ovidium priorem epistulas suas scripsisse;

1) Rectissime iudicat Jacoby Rh. M. LX, 71[1].

2) Qua de re nuper Wilamowitz egit Sappho et Simonides p. 18 sqq. Cuius in disputatione scrupulum mihi id tamen movet quod p. 21 dicit ‚Sabinus ließ denn auch den Phaon in seiner Antwort, die er dichtete, den höhnischen Rat geben: *det votam Phoebo lyram*'. Nam in v. 34, si totum lego (*det votam Phoebo Lesbis amata lyram*), ludificationem non sentio.

nec plus momenti tribuam ei rei quod Ovidius gloriatur ignotum hoc aliis opus se novasse (Art. III, 346). Firmius autem argumentum ex ipsa Arethusae epistula promi posse mihi videtur. Ibi enim legimus:

Romanis utinam patuissent castra puellis!
essem militiae sarcina fida tuae,
nec me tardarent Scythiae iuga, cum pater altus
astricto in glaciem frigore nectit aquas.
Omnis amor magnus, sed aperto in coniuge maior:
hanc Venus, ut vivat, ventilat ipsa facem.
Nam mihi quo, Poenis si purpura fulgeat ostris [1])
crystallusque meas ornet aquosa manus?

Quibus in versibus mihi non nimis placere fateor imaginem illam quam adhibet Arethusa in v. 46, etsi sarcinam apte e sermone militari sumptam esse non nego. Certe elegantius dicere mihi videtur Briseis Ovidiana (ep. III, 68):

Si tibi iam reditusque placent patriique penates,
non ego sum classi sarcina magna tuae.

Sed hoc leve. Miri autem aliquid, ni fallor, etiam habet, quod in v. 49 Arethusa suum amorem cum meretricio vel illicito amore comparat. Quae cogitatio neque propter conexum necessaria est neque, si recte sapio, ex ingenio castae nuptae facile nascitur. Iam videamus Ovidi similem locum, quem iam Bürger p. 39 cum Propertio contulit. Epistulam XIII enim Laodamia ita incipit, ut queratur tam cito e suo amplexu Protesilaum abreptum esse. Postquam deinde miseram eam horam sibi in animum revocavit qua maritus naves solvit, atque animum se defecisse cum illum non iam videret rettulit, sic pergit (29):

Ut rediit animus, pariter rediere dolores;
pectora legitimus casta momordit amor.
Nec mihi pectendos cura est praebere capillos
nec libet aurata corpora veste tegi.

Ut igitur Arethusa sic Laodamia primo legitimo amore se uri dicit, tum vestem cultam se non curare addit. Cum autem fortuito factum esse, ut hae cogitationes apud utrumque se exciperent, credi vix possit, Ovidium hic a Propertio pendere non puto. Nam ea ipsa res quae apud Propertium aliquid offensionis habebat, apud Ovidium ex ipsa fabula nata est. Quid enim magis est secundum naturam rerum quam quod Laodamia, quae modo taedas nuptiales vidit unumque diem coniugem amplecti potuit (cf. Euripidis

1) Sic cum Bürgero hunc versum scribo (pro *si* N habet *te*, rell. *tibi*).

Protesilaum p. 563 N.), ubi se recreavit, maritam se esse meminit coniugemque, cuius casto amore flagret, abesse dolet? Quod autem iam hoc loco facile putabis Ovidium hanc rem ab Euripide sumpsisse, id alio loco certissimum est. Nam quin v. 149—152:

Dum tamen arma geres diverso miles in orbe,
quae referat vultus est mihi cera tuos.
Illi blanditias, illi tibi debita verba
dicimus, amplexus accipit illa meos

ad ‚*simulacrum cereum simile Protesilai coniugis*', quod Euripidis Laodamia secundum Hyginum fab. 103. 4 in thalamo habebat, respiciant, dubium esse non potest. (Qua de re cf. Maximilianum Mayer Hermes XX p. 101—134). Itaque si modo ratio intercedit inter Ovidi hunc locum et Properti versum 30

si qua relicta iacent, osculor arma tua,

id quod Bürger putat p. 43, certe Propertius ab Ovidio pendet. Nec tamen ipse aut huic rei aut reliquis similitudinibus, quas ille inter Arethusae et Laodamiae epistulam extare putat, multum momenti tribuam[1]). De initio tantum epistulae Propertianae aliquid addam. Legimus enim

Haec Arethusa suo mittit mandata Lycotae,
cum totiens absis, si potes esse meus.
Si qua tamen tibi lecturo pars oblita derit,
haec erit e lacrimis facta litura meis,
aut si qua incerto fallet te littera tractu,
signa meae dextrae iam morientis erunt.

Similia initia et in Ovidi (ep. 3. 5. 11) et in aliorum epistulis legi notum est (Bürger p. 35). Quomodo autem Arethusa in v. 6 ‚*iam morientem*' se dicere potuerit, id nemodum, quantum video, demonstravit. Nonne igitur verisimile est Propertium amici iunioris epistulam XI ante oculos habuisse, ubi optime quadrant, quae Canace iam moritura (post primum distichon quod excidisse etiam post Vahlenum pro certo habeo) de se scribit:

Si qua tamen caecis errabunt scripta lituris,
oblitus a dominae caede libellus erit.
Dextra tenet calamum, strictum tenet altera ferrum,
et iacet in gremio charta soluta meo.

1) Conferri possunt etiam ep. XIII, 137. 8
ipsa suis manibus forti nova nupta marito
imponet g a l e a m b a r b a r a q u e *arma dabit*
cum Arethusae verbis (44. 5):
Felix Hippolyte! nuda tulit arma papilla
et texit g a l e a b a r b a r a *molle caput.*

Quamobrem Propertius, etsi in universum pulchrior est eius epistula quam Ovidianae, tamen his mihi ut suam epistulam componeret impulsus esse videtur.

Ad tempora autem Epistularum constituenda inde non multum lucramur, quia quo tempore Arethusae epistula conscripta sit, licet v. 7 res a. 16 gestas spectare videatur (Dio Cass. LIV, 19, 6), parum constat.

Artem amatoriam quoniam post alteram Amorum editionem scriptam esse iam supra ostendimus, nunc eo transibo, ut de eius compositione nonnulla dicam.

Prooemium huius operis Ovidius quasi parodiam esse carminum didacticorum esse voluit. Cum enim illi soleant Apollinem Musasque invocare, ipse profitetur v. 25

Non ego, Phoebe, datas a te mihi mentiar artes
. . . .
Usus opus movet hoc: vati parete perito!

Ne tamen legentes de hac sua peritia dubitent, ipse eos iocose ad Amores suos revocat. Ibi enim in carmine I, 2 (quod carmen una cum I, 1 et I, 3 compositum esse, ut initium alterius editionis efficeret, supra p. 9[1] suspicatus sum) haesisse Amoris sagittas in pectore suo cum sibi conscius sit, tali modo victum se fatetur (9 sqq.):

Cedimus an subitum luctando accendimus ignem?
Cedamus! leve fit quod bene fertur onus:
Vidi ego iactatas mota face crescere flammas
et vidi nullo concutiente mori;
Verbera plura ferunt, quam quos iuvat usus aratri,
detractant prensi dum iuga prima boves;
Asper equus duris contunditur ora lupatis,
frena minus sentit, quisquis ad arma facit.
Acrius invitos multoque ferocius urget
quam qui servitium ferre fatentur, Amor.
En ego confiteor: tua sum nova praeda, Cupido;
porrigimus victas ad tua iura manus.

In Arte vero isdem paene verbis utitur, sed rem ita convertit, ut se non iam puero petulanti atque crudeli servire, sed imperare glorietur (I, 17 sqq.):

Aeacidae Chiron, ego sum praeceptor Amoris.
Saevus uterque puer, natus uterque dea,
sed tamen et tauri cervix oneratur aratro
frenaque magnanimi dente teruntur equi,
et mihi cedet Amor, quamvis mea vulneret arcu

pectora iactatas excutiatque faces!
Quo me fixit Amor, quo me violentius ussit,
hoc melior facti vulneris ultor ero.

Sic igitur postquam iocose se non iam partes amatoris agere qui semper submisse adversus Amorem se gerit, sed huius praeceptorem se nunc esse [1]) professus est, his verbis quomodo Artem suam dispositurus sit, exponit (35—8):

Principio, quod amare velis, reperire labora,
qui nova nunc primum miles in arma venis!
Proximus huic labor est placitam exorare puellam;
tertius, ut longo tempore duret amor.

Quam dispositionem in universum accuratissime servat poeta [2]). Postquam enim primam partem absolvit, sic I, 263—6 ad alteram transit:

Hactenus, unde legas quod ames, ubi retia ponas,
praecipit inparibus vecta Thalea rotis.
Nunc tibi, quae placuit quas sit capienda per artes,
dicere praecipuae molior artis opus.

Eodemque modo ubi in fine libri primi alteram partem conclusit:

Pars superat coepti pars est exhausta laboris:
hic teneat nostras ancora iacta rates,

libro alteri novum prooemium non praefigit [3]), sed ad tertiam tantum partem transitum sibi parat. Monet enim iuvenem qui puellam exoravit (11. 2):

Non satis est venisse tibi me vate puellam:
arte mea captast, arte tenenda meast.

Postquam deinde toto libro altero docuit quomodo amor durare posset, sic v. 733 desinit:

1) Facile autem, si prooemium perleges, cognosces duas sententias hic non ita bene misceri, quarum altera est: ‚Ego praecepta amandi do', altera: ‚Ego praeceptor Amoris sum puerumque petulantem ulciscor'.

2) In singulis tamen rebus Ovidium non semper logicum sententiarum ordinem curasse facile concedo. Qua de re cf. p. 12³. Bürger autem quod statuit (p. 70—72) versus I, 1—266 postea demum additos esse, firmis argumentis non nititur atque recte a Tolkiehnio impugnatus est (Neue Jahrb. 1903 p. 332²), praesertim cum ‚inventio' in Arte aptissime primum locum teneat (Zielinski Philol. 64 p. 16). Id unum concedo vv. 171—228, quos Ovidium scripsisse apparet, ut Augusto blandiretur invidiamque carminis depelleret, tantopere a versibus praecedentibus et sequentibus distare tamque male versus 228 et 229 cohaerere, ut si non tota haec pars at certe versus 177—228 postea inserti esse videantur. Cf. Hermae huius anni p. 3 (ubi tamen per errorem non 171—228, sed 164—228 scripsi).

3) Id quod propter errorem moneo quem Engel (de antiquorum epicorum didacticorum historicorum prooemiis Marpurgi 1910 p. 29) commisit.

Finis adest operi. Palmam date, grata iuventus,
sertaque odoratae myrtea ferte comae!

Tum ad prooemium operis respiciens, ubi se non minus quam alios artem docere posse dixerat, nunc se promisso stetisse praedicat. Utque ibi coeperat (5. 8)

curribus Automedon lentisque erat aptus habenis,
. . . .
Tiphys et Automedon dicar Amoris ego,

sic nunc (737) gloriatur:

Quantus erat Calchas extis, Telamonius armis,
Automedon curru, tantus amator ego.

Utque ibi (29) iuvenes monuerat: *vati parete perito!* sic nunc monet:

Me vatem celebrate, viri, mihi dicite laudes,
cantetur toto nomen in orbe meum!

Habemus igitur plenum carmen atque rotundum. Legimus enim prooemium, legimus dispositionem, quam per totam tractationem poeta accuratissime servat et ad finem perducit, legimus perorationem, quae sententiis verbisque prooemio respondet; neque deest sollemnis carminis exitus, quo poeta quasi nomen subscribit (743. 4):

Sed quicumque meo superarit Amazona ferro,
inscribat spoliis ‚Naso magister erat'.

Sed ecce, post haec ipsa verba novum apparet exordium.

Ecce, rogant tenerae, sibi dem praecepta, puellae.
Vos eritis chartae proxima cura meae.

Sequitur igitur tertius liber, qui post longum prooemium ad exemplar prooemii l. I scriptum praecepta puellis data exhibet atque sic concluditur:

Lusus habet finem. Cycnis descendere tempus,
duxerunt collo qui iuga nostra suo.
Ut quondam iuvenes, ita nunc, mea turba, puellae
inscribant spoliis ‚Naso magister erat'.

Hunc autem totum librum III non una cum prioribus libris animo conceptum sed Arte ipsa iam confecta additum esse tam in aperto est, ut mirer quod nemo nisi Sabbadini (Riv. di fil. XXIX p. 16) hoc animadvertit vel certe pronuntiavit. Ut enim in totis libris prioribus nusquam se etiam puellis praecepta daturum esse indicat [1]),

1) In versu II, 739 fortasse illud *me vatem celebrate, v i r i* iam novum consilium indicat.

sic et in prooemio [1]) et in dispositione (cf. imprimis 37 *Proximus huic labor est placitam exorare puellam*) iuvenes solos respicit, de puellis omnino non cogitat. Accedit quod, cum priores libri dispositionem propositam in universum accurate servent, in libro tertio farrago tantum invenitur praeceptorum ordine carentium, quae maxima ex parte e prioribus libris satis, ne dicam nimis neglegenter ad puellas translata sunt [2]). Appendicis igitur loco liber III ad Artem iam confectam additus est.

Hoc autem factum esse iam antequam **Remedia** scriberet certum est. Quamquam enim commoditati serviens in hoc quoque libro plerumque iuvenum tantum rationem habet, tamen non modo in prooemio haec praemittit (49—51):

Sed quaecumque viris, vobis quoque dicta, puellae,
credite! diversis partibus arma damus,
e quibus ad vestros siquid non pertinet usus,
attamen exemplo multa docere potest,

sed etiam nonnumquam ad Artis l. III expressis verbis respicit. Velut in hoc monet puellas v. 209 sqq.:

Non tamen expositas mensa deprendat amator
pyxidas: ars faciem dissimulata iuvat.
Quem non offendat toto faex inlita vultu,
cum fluit in tepidos pondere lapsa sinus?
Oesopa quid redolent eqs?

At in Remediis hortatur eum qui amorem suum sanari velit (351 sqq.):

Tum quoque, conpositis cum conlinit ora venenis,
ad dominae vultus — nec pudor obstet — eas:
Pyxidas invenies et rerum mille colores,
et fluere in tepidos oesopa lapsa sinus eqs. [3])

---

1) Certe quisquis versus 1 et 2 legit:

Si quis in hoc artem populo non novit amandi,
hoc legat et lecto carmine doctus amet!

nonnisi de iuvenibus cogitat. Quodsi in versibus 31—4 testatur se non matronis haec scribere, sed concessam Venerem canere, inde concludi non potest eum etiam mulieribus praecepta dare, sed a legendo tantum se eas prohibere velle fingit. Cf. II, 599. 600.

2) Velut III, 387 sqq. breviter complectitur et ad mulieres transfert quae I, 67—170 docuerat. III, 659 expressis verbis nos ad I, 739 sqq. relegat. Ne ultima quidem quae ‚*pudet docuisse*' scribit, quin ad librum II respiciat, cf. III, 793. 4 cum II, 727. 8. Alia ipsi invenietis multa.

3) Remedia quoque ita composita esse ab Ovidio, ut Artis monita inverteret, primo obtutu apparet. Sed insunt etiam praecepta diversae faciei. Velut ita incipit ut moneat non statim remedia adhibenda esse, sed tum, ‚*cum sua vulnera tangi iam sinet*' animus (125). E singulis praeceptis primum est, ut is qui in amore est fugiat otia et ad studia belli vel ruris colendi se convertat (135—212); alterum ut locum mutet Romaque discedat (213—248). Postea (441—488) Ovidius monet, ut alios amores quaerat qui uno torquetur. — Vix igitur casui tribuendum esse videtur, quod Chrysippus quoque ‚*vetat ad recentis quasi tumores animi remedium adhibere*' (Cic. Tu. IV, 63) et quod Cicero in Tusculanarum libro IV, ubi Chrysippi θεραπευτικόν sequitur (cf. quae exposui in Hermae t. XLI p. 321 sqq.), praeter alia remedia haec amanti adhibenda esse docet (75): *Abducendus etiam est nonnunquam ad alia studia sollicitudines curas negotia, loci denique mutatione tamquam aegroti non convalescentes saepe curandus est; etiam novo quidam amore veterem amorem tamquam clavo clavum eiciendum putant.* Philosophorum igitur θεραπευτικούς Ovidium non neglexisse, cum suum scriberet, verisimile mihi videtur. Utrum vero Chrysippi librum adierit an a Cicerone sua mutuatus sit, non diiudicaverim.

Remedia anno fere 1 p. Chr. n., certe ante Maium anni 2 scripta esse inde apparet quod poeta C. Caesarem in Orientis terris esse v. 155. 6 commemorat, sed nondum pacem factam esse scit (cf. Hermae huius anni p. 3). In Arte autem componenda Ovidium a. 2 ante Chr. n. occupatum fuisse ex libri I versibus 177—222, ubi eandem C. Caesaris expeditionem tum ipsum parari dicit, et 171—176, ubi naumachiam ab Augusto a. 2 datam commemorat, intellegimus. Quas partes etsi fortasse postea demum in l. I insertas esse supra conclusimus (p. 18[2]), a vero non aberrabimus, si ultimis a. Chr. n. annis Artis l. I et II compositos et iam ante annum 1. p. Chr. n. librum tertium annexum esse dicemus.

Superest, de quo quaeramus, parvus **de Medicamine faciei** libellus. Quem cum non integrum ad nos pervenisse constet, primo de condicione atque indole partis nobis servatae nonnulla dicenda mihi esse videntur.

Versibus 1—26 poeta postquam breviter propositum suum indicavit, puellas, ne cultum aspernentur sed sui saeculi mores sequantur, iocose admonet, praesertim cum viri quoque nunc idem faciant. Nam

feminea vestri poliuntur lege mariti,
et vix ad cultus nupta quod addat habet (25. 6).

Sequitur distichon, quod etsi initio corruptum est, tamen hanc sine dubio sententiam continet:

Cui (pro M rell.*) se quaeque parent* [1]) *quos et venentur amores,*
refert; munditia crimina nulla merent.

---

1) Cf. Prop. II, 24, 47. 8

Durast, quae multis simulatum fingit amorem,
et se plus uni si qua parare potest,

Cic. p. Milone 28 *dum se mulier, ut fit, comparat.*

Quae sententia etsi perfecta est neque a proposito abhorret, neque cum antecedentibus versibus apte cohaeret neque cum iis qui secuntur certo vinculo conexa est. Exponit enim poeta v. 29—34 naturam ipsam ferre, ut mulieres formam tueantur. Haec etsi ad antecedentes sententias facile annecti posse apparet, praesertim si talia inserantur ‚non autem opus est vos cohortari, ut formam tueamini; nam natura ipsa vos impellit', tamen vix nobis persuadebimus Ovidium sine transitu sic coepisse: ‚*Rure latent finguntque comas*' (29)[1]). Nec multo melius adiungitur proxima pars (35—42), qua poeta puellas monet, ne magicis artibus magis quam cultui formae confidant. Quamquam enim in versu 35:

Sic potius consurget[2]) *amor quam fortibus herbis,*
quas maga terribili subsecat arte manus,

illud ‚*sic*' aliquo modo intellegi posse non negem, tamen nisi usque ad v. 23 respiciemus (*sit vobis cura placendi*), verba ad quae referatur non inveniemus.

Facilius tolerari potest, quod in v. 43 sine transitu poeta addit:

Prima sit in vobis morum tutela, puellae;

post v. 50 autem conexum deesse inter omnes constat, cum prooemium iusto fine careat subitoque rem ipsam Ovidius tractet:

‚Dic age, cum teneros somnus dimiserit artus,
candida quo possint ora nitere modo!'
Hordea eqs.

Quae cum ita sint, carmen integrum nos non tenere apertum est. Quominus autem cum Schanzio (Rh. M. XXXIX p. 313) aliisque folia codicis laesa vel librariorum neglegentiam causam fuisse cur versus exciderent putemus, illud impedit, quod singulae particulae quas tractavimus, etsi inter se non conectuntur, ipsae omnes certam atque plenam sententiam continent. Itaque potius eo deducor, ut nescioquem virum doctum ex prooemio carminis Ovidiani sententias, quae quidem dignae viderentur, excerpsisse atque v. 51—100 tamquam specimen tractationis addidisse putem. Fieri autem praeterea potuisse, ut in fine libellus librariorum culpa mutilaretur, concedo.

Utut autem res se habet, hunc libellum ante Artis l. III compositum esse ex huius versibus 205. 6 discimus:

Est mihi, quo dixi vestrae medicamina formae,
parvus sed cura grande libellus opus.

---

1) Itaque Kunz in editione libelli Vindobonae 1881 versus 27. 8 delevit.
2) sic recte Kunz et Schenkl. *nos urget* M rell.

Num autem etiam ante Artis l. I et II scriptus sit, ut vulgo putant, secundum ea quae antea exposuimus adhuc quaerendum est. Ac primum quidem velim conferatis Medicaminum versus 31—4:

Est etiam placuisse sibi quaecumque[1]) *voluptas:*
virginibus cordi grataque forma suast.
Laudatas homini volucris Iunonia pennas
explicat, et forma muta superbit avis

cum Artis l. I, 623. 4 et 626. 7:

Delectant etiam castas praeconia formae:
virginibus curae grataque forma suast . . .
Laudatas ostendit avis Iunonia pennas:
si tacitus spectes, illa recondit opes.

Cum enim libello de Medicamine id tantum Ovidius ostendere velit naturam ferre ut mulieres formam colant, eum pavonis laudatae exemplum non nimis feliciter ex Arte repetivisse apparet.

Quae tum in libello de Medicamine secuntur monita, ne puellae magicis herbis confidant (35—42), similiter Ovidius profert in Artis libro altero, ubi tractatio sic incipit (99—103):

Fallitur, Haemonias si quis decurrit ad artes
datque quod a teneri fronte revellit equi;
non facient, ut vivat amor, Medeides herbae
mixtaque cum magicis naenia Marsa sonis.

Sed maioris momenti est, quod ibi aptissime aliam sententiam addit his versibus:

111 *Ut dominam teneas nec te mirere relictum,*
ingenii dotes corporis adde bonis!
Forma bonum fragilest, quantumque accedit ad annos,
fit minor et spatio carpitur ipsa suo . . .
Et tibi iam venient cani, formose, capilli,
iam venient rugae, quae tibi corpus arent.
Iam molire animum, qui duret, et adstrue formae;
solus ad extremos permanet ille rogos.

Hinc enim videmus qui factum sit, ut in libello de Medicamine poeta inde a v. 43 haec ad monita sua adderet:

Prima sit in vobis morum tutela, puellae!
Ingenio facies conciliante placet.
Certus amor morumst: formam populabitur aetas,
et placitus rugis vultus aratus erit;
tempus erit, quo vos speculum vidisse pigebit,
et veniet rugis altera causa dolor.

---

1) Utrum recte haec tradita sint necne, dubito.

Sufficit et longum probitas perdurat in aevum,
perque suos annos hinc bene pendet amor.

Nam hic quoque Artis locum prius excogitatum esse declarat inprimis ultimum distichon, quia verba ‚*animus qui duret*', quibus in libello de Medicamine respondent ‚*longum probitas perdurat in aevum*' (49), in Arte sola suum acumen habent, siquidem indicant tertiam dispositionis partem incohari, qua poeta id agat, *ut longo tempore duret amor* (I, 38). Ut igitur in Artis libro tertio, sic in libello de Medicamine faciei ea quae antea iuvenibus dixerat, in puellas transtulit. Contra in Artis libro III ab huius libelli sententiis exordium sumpsit. Nam ut hic incipit (3. 4):

Cultus humum sterilem Cerialia pendere iussit
munera; mordaces interiere rubi,

sic in Arte legimus III, 101

Ordior a cultu. Cultis bene Liber ab uvis
provenit, et culto stat seges alta solo.

Atque, ut alia taceam, sicut in libello de Medicamine puellas monet, ne rusticitatem matronarum imitentur, quae Tatio sub rege fuerunt, sed sui saeculi moribus obsequantur (11 sqq.), sic in Arte Ovidius haec scribit (III, 121):

Prisca iuvent alios: ego me nunc denique natum
gratulor; haec aetas moribus apta meis,
non quia nunc terrae lentum subducitur aurum
lectaque diverso litore concha venit,
nec quia decrescunt effosso marmore montes
nec quia caeruleae mole fugantur aquae[1]*:*
sed quia cultus adest nec nostros mansit in annos
rusticitas, priscis illa superstes avis.

Hunc locum quin totum exscriberem, etsi propter propositum meum necessarium fortasse non erat, non me retinui. Cum enim totiens in disputatione mea ostendissem, quantopere Ovidius et aliena carmina imitatus esset et sua ipse verba iterasset, aequum esse videbatur unum saltem locum commemorare, ubi ille tritas elegiacorum poetarum vias, qui sibi vix satisfaciunt in simplicitate antiquitatis laudanda, consulto deserens suo tantum ingenio ducitur. Nec puto dubitabitis quin poeta verius, quae culti illius aetatis homines sentirent, expresserit quam omnes et rhetorum et philosophorum declamationes de luxuria saeculi decantatae.

1) Nonne vobis in mentem venit Horati versuum:
Contracta pisces aequora sentiunt
iactis in altum molibus (c. III, 1, 33)?

Sed iam in eo est, ut calculos totius disputationis subducamus. Ovidi ergo carmina amatoria hoc ordine conscripta sunt: Primo Amorum editio prior, quae ex quinque libris constabat, paulo post a. 19 in lucem prodisse videtur. Secutae sunt Medea tragoedia et Epistulae 1—14 (vel 15). Non multo post, certe ante Properti mortem, poeta Amores iterum edidit atque in tres libros coartavit. Ultimis ante Christum natum annis Artem amatoriam conscripsit iuvenum in usum, duos libros complexam. Ne vero puellae neglectas se quererentur, primum libellum de Medicamine faciei emisit; quam rem cum propter materiae sterilitatem ac siccitatem non nimis prospere sibi cessisse ipse sensisset, etiam Amazonibus arma dare constituit Artique tertium librum addidit. Agmen clausit θεραπευτικός ille cui Remedia amoris inscripsit, anno post Chr. fere primo conscriptus. Sed postea dum in Metamorphoseon libris XI. XII condendis occupatus est, ad amatoria carmina revertit atque Epistulas 16—21 prioribus addidit (cf. Hermae t. XLVIII p. 9).